ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vidi supercilium Hominis, et risi, Vir Nobilissime: nec enim
miror hos Gallorum impetus, et vanas sine viribus iras; qui cum
Gemmâ musicâ ignari scioli, ut apud Aesopum alter Gallus, pe-
riculose ludere videntur. Forte nec grani nimis nucleum recte
sapiunt; praecipue ille Consiliarius Parisiensis μετὰ πολλῆς
φαντασίας, ut olim apud Paulum Doctorem Gentium Agrippa Rex
prodiens; hoc est, cum magna ambitione; quemadmodum ἐνεργητικῶς
vulgatus interpres vertit illud Actor. 25, ut alias quoque insinua-
vi. Cujus hominis ambitiosa Phantasia, nec a toga quidem ali-
quid momenti apud me habet: nam nil morarer, etsi vexillo foret,
modo ratione uteretur. Sed nec latrones timeo quod latus
meum ~~quod latus meum~~ involet: securius enim deinceps canta-
bo tibi, et quam calco semitam perambulabo. Imo quicquid de-
inceps Gallicae importunitatis obvenerit, surdis auribus exci-
piam. Quid maledicentiae aut ambitioni cum sapientia? quae sine
fictione discenda, et sine invidia communicanda, si Sapienti credi-
mus. Forte supercilium hominis sibi magis sapere videtur,
quam ille qui praetulit eam regnis et sedibus. Sed audiamus nu-
tus illius. Totum atque unicum hoc ipsius argumentum (atque
utinam argumentum esset) cavillatio est, in causâ [illegible]it, de-
monstrationis loco obtrusa. Sic enim ille Togatus, quasi ~~e~~ de
tripode, oracula effutit. Quicquid Bannius scripsit de accentibus,
et intervallis, circulis ac pathematibus ineptum, ac falsum:
Hem! extra provinciam suam abit ille hoc ac recens, et nescit,
an sit universalis an particularis ejus propositio? Nisi ~~x~~
omnium gentium, linguarum, ingeniorumque nativam facultatem
se praescribere posse autumet. Sed particulariter subjungit,
Reliqua quae Bannius attulit in suis animadversionibus in
linguam Gallicam, perversa sunt: ergo omnia falsa. Quid-
quaeso scientiis cum linguâ, aut indole Gallicâ? Ne Vertum-
nus quidem, aut Janus, toties mentientur figuras, aut frontes-

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2990

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

suas, quoties isti homines suam indolem, aut ingenia, aut linguam.
Praecipue cum dicunt, tanta esse linguae vernaculae mysteria, ut
nemo exterorum ea addiscere queat: quippe cum linguam nec in-
quilini aut vernae accurate norint: sed psittacorum more, sine di-
stincta ratione legitimae pronunciationis, pro ut in buccam vene-
rit, vomunt et futiunt. Nam accentus quod attinet, elevatio-
nem vocis Italis relinquunt; ut suo supercilio innuit Consilia-
rius. Quid tandem est homines concludit? Multa de Doesseti ge-
rata non intelligit Bannius: in sui paradigmatis ratiocinatio-
ne ineptit falso. Cetera vero illius ne examine quidem digna.
τὸ τέλος. Quomodo probat? quia asserit αὐτὸς ἔφα: ergo ve-
rum est. O barbariem! cum disputantes debeant convenire —
in aliquo primo principio, unde controversa probent: ipse nulla
principia adfert, nulla agnoscit: sed omnia rejicit, ut saevius
grassetur contra rationem. Apage barbariem, et poma natantia:
sufficit enim supercilio si sibi gratuletur, et dicat, nos poma —
natamus. Sine calore dico: nam doleo me sine ratiocinatione
impeti; quod ingenitae facultati mentis adversatur. Nuper
vir Ampliss. D. P. C. Hooft, cum epistolam meam ad Schurmannam
legisset, totidem verbis mihi rescripsit: Si Musices gnarus
forem, non vererer statim tuis accuratis limitibus pronunciationis
Musicae legibus, saevius subscribere. Quod in eum finem refero,
ut non opinionis meae, sed demonstrationis claritatem ac veritatem,
tot doctissimorum calculis ~~claritatem~~ probatam, evidentiorem
quotidie agnoscent, saevius canere pergam, etiam non vacuus
coram latrone viator. In te porro sagittas meas, quas avidius
expectas, saevius liberiusque ejaculabor.

Sed quid ego de illius superciliosi nugatoris (authoris di-
cere volebam) diagrammate censeam, etiamnum expectas.
Stulto secundum stultitiam suam respondeo. Nescio quid energi-

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2990

habeat haec modulatio, cui nulla insolita potestas, aut venustas inest, ut mens rapiatur: sed confusum quoddam sonorum chaos est; quod me circulo stabili, nec numeris variis, nec inter-vallis sespanimis continuum est. An non liceat mihi dicere?

Carpere causidicus fertur mea carmina: quid sit
Nescio: si sciero, ve tibi causidice.

Ipse vero ludificator hominum non me naso suspendet adunco. Nisi enim rationalis fiat, cum bruto aut muto non ago imposterum: sed poma natantia suis sleurtibus reddo.
Quod me Constantissime amare digneris (liceat dicere) Vir amicissime: id me omnino tuum, tuisque nutibus obsequentissimum reddit. Cujus desiderio explendo quantum in me est, etiam nocturnas curas ago. Sed quia id brevi coram testari spero, respondenti silentio me tibi tuum commendo. Vale. Harlemi Kal. Majis. CIↃ.IↃC.XLII.

Tuus servus

Jo. Alb. Bannius

Anatomiam istius cantilenae data occasione transmittam: nunc in opusculo occupor.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 20
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2990